

§. XVI. Est autem veritas virtus moralis, quâ in omni conversatione sensa mentis, verbis, gestibus & actionibus exprimimus. Veracitatem esse virtutem moralem ostendi potest tali argumentò: *Q. habitus acquisitus & intermedius inter duo extrema, excessum & defectum nempe, in certa quadam actione morali instituenda, ita voluntatem perficit, disponit & dirigit, ut nec peccet in ejus actionis excessu, nec defectu, iste habitus est moralis. Atqui habitus circa sermones, verba, nutus, gestus & alia signa externa ad exprimendam animi sensa adhibenda est talis. Et talis habitus est virtus moralis.* Major liquida est ex natura virtutis; Minor inde probatur, quia quis in veritate edenda vel plus vel minus quam decet ac justum est, potest proferre, atq; sic sermone, nutu, gestu similive actu ita sese gerere, vel quasi majora possideat, quam possidet, vel bona habeat, quæ prorsus nō habet, & sic in excessu peccare, veritatem superando. Cōtra vicissim actiones suas ita instituere, ac si minora possideat, quàm possidet, vel planè nō habeat quæ habet, atq; sic peccare per defectum, veritatem minuen- do. Hic certè opus erit mediò habitu, qui ita hominem disponat, ut nihil aliud, quàm quod in re ipsa est, & secum sentiat, sermone, nutu alioq; actu externo significet. Plura quidem hinc objici possunt, quæ tamē ad conflictum potius, quam ad hujus chartæ angustiam remitti malumus.

§. XVII. Objectum hujus virtutis sunt verba, gestus & denique actiones; hæc omnia enim sunt signa illa, quibus animi nostri sensa exprimere solemus. Quod notandum contra Paréum, qui in *Comment. super caput 21. Gen.* negat, mendacium consistere in factis & actionibus, & consequenter etiam negat veracitatem versari circa actiones, cum virtus & oppositum vitium versetur circa idem objectum. Quæ sententia Paréi oppidò falsa est, cum